

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Ioannis Azorii Lorcitani, Societatis Iesv Presbyteri  
Theologi, Jnstitvtiones Morales**

In Qvibvs Vnivers[a]e Qvaestiones ad Conscientiam recte aut prauè  
factorum pertinentes, breuiter tractantur

**Azor, Juan**

**Coloniae Agrippinae, 1602**

18. Quædam aliæ Quæstiones de consuetudine diluuntur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14077**

fit, ut consuetudo præter legem inducta vim legis accipiat? Respondeo, quando consuetudo est præter ius sive Ciuitale, sive Canonum, teste Abbatem, c. vlt. de consue. num. 11, ex Glossa, in c. viii. de consue. in 6. & in c. consuetudo. d. 12. teste etiam Felino c. supra citato, requiri, & sufficere decennium, quoniam longum id tempus reputatur: dummodo tamen in eo decennio actus ex quibus consuetudo inducitur, frequenter repetantur, populo id videntur: nā eo ipso, exp̄sē, vel tacite populus creditur consentire. Si roges, an huiusmodi consuetudo, ex uno tantum actu digni possit. Respondeo, cum Sylvestro verbo consuetudo. q. 4. non posse, quia consuetudo sit ex actibus identidem repetitis: nec dici potest populi consensus adesse in uno, aut duabus actibus tantum, quoniam forte per errorem, vel ob cauam vitandi alterius mali, populus unum, aut alterum actum contra ius permittit imponere nisi quando unus actus, ita continuatur ad longum tempus, ut perinde sit, ac si multi actus toto eo tempore replicarentur. V. G. confertur beneficium regulare clericō seculari, aut contra, beneficium secularē clericō regulari, & ab eo annis quadraginta possidetur: consuetudo inducitur, & beneficium secularē sit regulare, & contra, c. cum de beneficio. de præb. in 6. Paratione, fit pons publicus, aut molendinum, & durat ad longum tempus: gignitur consuetudo Sylin. loco citato sequens Abbatem. Ex dictis colligitur consuetudinem optandi præbendas in aliqua Ecclesia decenti annorum spatio induci, ut ait Rochus. Item consuetudo de oblationibus faciendis inducitur decennio. Abb. c. suam. de simon. Denique, an & in qua re consuetudo ex uno actu possit induci, latè tractat Rochus in tract. de consuet. §. Glossa finalis, in septimo requisito ad consuetudinem.

Decimò Quæritur, An quādō lex expressis verbis consuetudinem improbat, & damnat, videatur improbare tantum præteritam, an etiam futuram: quod est querere. An per legem, quae consuetudinem tollit, sublata censoriat præterita tantum consuetudo, an etiam futura, hoc est, An consuetudo valeat contra legem expressum ei derogantem, ita ut denuò induci queat: licet fuerit per legem damnata, ac sublata. Hanc questionem tractat Conar. lib. 3. var. resolut. c. 13. num. 3. & 4. & Rochus Curtius, super c. vlt. de consuetudi. in parvo fol. 52. column. 4. Due sunt opinione, prima est communī consensu iurisperitorum recepta, quam sequitur Sotus. lib. 1. de iust. & iure. q. 7. a. 2. putans eiūmodi lege etiam consuetudinem futuram, & non solum præteritam tollit: quod probat, quia consuetudo contra legem, vim non habet nisi consensu Principis expresso, vel tacito: sed quando lex expressum tollit, damnat, aut improbat consuetudinem contrariam, ut si dicat, nihil obstante consuetudine contraria, expressis est Principis consensu, ne consuetudo vim habeat. ergo lex non solum præteritam consuetudinem, sed futuram etiam abrogat. Hoc idem tradiderunt Bartolus, Ioan. Andreas, Antonius Butrius, Ioannes Ligatus, Decius, Felinus, Alexander Imola, Paulus Lazarus citati à Couarr. lib. 3. variar. resolut. c. 13. num. 3. & 4. Quod probant, quia lex eiūmodi semper loquitur, i. ariani. c. de Hereti. ergo semper consuetudinem damnat, vel improbat. Secunda opinio

docet, denuò posse consuetudinem induci, quādō sit per legem semel sublata, & extinta: quia potest ex noua causa verosimiliter non cogitata, aut ex antiqua non cognita, cum lex ferrebarū, introduci. Sic Couarrnias loco citato, qui citat Abbatem, Glossam, Gemianum, utrumque Cardinalem, Ioannem Irolam, Perrum Ancharam, Baldum, Romanum, Isanum, Rocham, approbantes Glossam in Clem. statutam de elect. verb. consuetudine. Id dupliciter probant, Primi in cap. Si Episcopis, De patr. & remiss. in 6. vbi dicitur nulla consuetudine posse induci, ut quis sine sui superioris consensu eligat sibi confessarium, qui ipsum à peccatis absolvat, & tamen ante Concilium Tridentinum, simplices presbyteri sibi inuicem peccata confitebantur, a quibus absolvebantur. Deinde, verba legis, quibus dicitur: Non obstante contraria consuetudine, non habent maiorem vim, quādō ius scriptum: sed contra ius scriptum potest consuetudo introduci, ergo etiam ea verba in lege ponantur: Non obstante consuetudine contraria, potest lex ipsa abrogari, ita ut consuetudo in posterum contra legem possit induci. Mihi itaque videtur dicendum; si lex consuetudinem damnet tanquam iniquam, malam, vel cum iure diuino, aut cum ratione pugnantem, aut a bonis moribus diffidentem, quamlibet consuetudinem, & præteritam, & futuram damnat: quoniam eam consuetudinem eo ipso, quod vocat iniquam, & contra bonos mores, insinuat esse contra ius gentium, Naturale, vel Diuinum, & propterea, tum præteritam, tum futuram consuetudinem damnat, & abolet. Si vero lex solum consuetudinem tollat verbis generatis, aut simpliciter propositis, nimirum, Non obstante contraria, vel quacunque consuetudine, vel. Nullo modo contrarium fiat, aut valeat, vel, contraria sit iritatum & inane, aut speciatim, nihil obstat hac, aut illa consuetudine, ita tunc consuetudo affertur, & abrogatur, ut possit denuò contra legem induci: & hoc est, quod secunda sententia tradidit, quoniam fieri potest, ut quod certo quadam tempore, tanquam malum legē prohibetur, progressu temporis mutatis rerum causis, & eventis definit esse malum. Item, quādō lex consuetudinem tollat simpliciter aut improbat, vel dānet, potest tamen contraria consuetudine antiquari, quonia cum lex sit tantum ius scriptum, potest vnu, & more recepto tolli; licet expressa, & absolute lege ipsa vetetur, ne contraria cōsuetudo vilius sit momēti, aut ne constitutio more contrario abrogetur.

### Caput XVIII.

Quædam aliæ quæstiones de Consuetudine diluuntur.

Primi Quæritur, quādō consuetudo dicatur esse secundum legem? Respondeo, eam duobus modis dici, primo, quia legem ipsam interpretatur, & declarat. Secundo, quia ipsam confirmat. Consuetudo enim, quando est secundum legem, binas vires habet, ut docet ex Bartolo, & Baldio, Abbas, in cap. vlt. de consuet. num. 28. videlicet legē interpretandi, cap. Cum dilectis, de Consuetudine, & in l. Si de interpretatione, & l. Minimè sif. de legibus, & confirmandi legem, cap. Sopite, de censib., vbi ius consue-

tidine

ius dicuntur adiuncti. sive enim in medium producitur lex, & consuetudo.

**Secundo queritur**, An quando consuetudo, & ius confirmat idem, quod constitutio decernit, abrogata constitutione, sublata quoque consuetudo censeatur? **Respondeo**, ex Gloss. in c. i. de cons. in 6. Abb. in c. v. de cons. n. 21. quod supra iam dixi. Quodcumque ius communis abrogatur, tolli pariter statutum, vel consuetudinem, quae ius illud commune continebat, & qua ob frequentem uitium morem confirmabatur; nec est necesse, specialiter fieri mentionem statuti, vel consuetudinis: ut supra indicauit.

**Tertio queritur**, An Consuetudo legem praecedentem generaliter abroget, an specialiter? **Respondeo**, cum Glossa in c. i. de consue. in 6. Abb. in c. v. de cons. n. 24. si consuetudo generalis sit, hoc est, ubique introducta, tollit generatim legem praecedentem; si vero consuetudo sit specialis, abrogat specialiter e loco, ubi viget consuetudo.

**Quarto queritur**, An quando consuetudo precedit, per legem sequentem tollatur? hanc questionem supra tractauit ad quam in praesentia breviter etiam respondeo. Bartol. in l. de quib. ff. de legib. docet, Consuetudinem in vniuersum per legem sequentem aboleri, quod probat ex lege. **Priu. xii. ff. de sepulchro, viaducto, aitq. Pontificij iuris Doctores contrarium docere in cap. i. de Constitutionib. in 6. Sed verius est, quod tradit Abb. in c. v. de cons. n. 24. consuetudinem priorem, si generalis sit, per legem sequentem tolli: non tamen eam aboleri, que est specialis, quae in certo loco vigeret, nisi hat eius specialis metu, hoc enim aperte decernit in c. i. de Constitutionib. in 6. Vbi etiam ratio redditur, cur speciales consuetudines, & statuta locorum per legem generalem sequentem, non abrogantur: quia Romanus Pontifex, vel Princeps, speciales locorum consuetudines, & statuta ignorare probabiliter creditur. Vnde meritò deducit Abbas: si ciuitas certi aliquid statuat contra suam consuetudinem, & morem, eo ipso, eam consuetudinem tollit, quamvis nihil eius meminerit: ciues enim minime probabiliter suas consuetudines nescire creduntur.**

**Quinto queritur**, An in ijs, quae sponte, & ultra geruntur, consuetudo inducatur vim habens ligandi conscientiam? **Respondeo** ex. Ange. consuetudo q. 20. Syl. consuetudo 24. ex Bartol. Cyno. Inno. Ioan. And. abbate, & alijs: quos citat Sylvest. minimè: atque haec est cōfians Canonici, & Civilis iuris Doctorum opinio. Vnde si quis alteri liberaliter quippiā donet, quamvis per multos annos donet, consuetudo non inducitur, quia ei obligetur: ut, si rusticus per decennium par gallinarum obtulit liberaliter Principi quotannis, nunquam Princeps ius acquirit ab eo id exigendi, & potest rusticus, quandocumque voluerit, voluntate murata Principi nihil offerre. Ita etiam, si diues diu quotannis certam aliquam elemosynam in ius Canonicorum, vel Religiorum certi collegij sponte sua gratis, & liberaliter eroget, potest arbitrari ius ab ea largienda defisere, nec Canonici, aut Religiosi possunt vi consuetudinis eam elemosynam postulare. Ex quo deducunt Doctores, si quis frequenter quidem, sponte tamen sua, ac voluntate loeat ire ad certum molendinum, vel ad

certam cuiuspiam officinam emendi gratia, eum vi consuetudinis non compelli ad frequentandū, quamvis ē millies iacet. Vnde considerandum est, quod annotauit Sot. lib. 3. de iust. q. 7. art. 2. quando cunque populus, vel ciuitas certa ieiunia iisque, & seruare solet, aut dies certos religiosē colere, an ea obseruet pietatis studio, & affectu spontaneo, & voluntario: nam ex eiusmodi obseruatione quamvis saepius repetita nequaquam vis illa legis existit, ac surgit: at si ea obseruet animo, & voluntate consuetudinem inducendi, tunc vi consuetudinis, tanquam lege populus, ac ciuitas renentur. **Quares**, qua ratione discerni queat consuetudo ab eo, quod sponte, & liberaliter fieri solet? **Respondeo**, quandocumque populus, aut ciuitas dies festos ius, & more colit, & obseruat, si id ius recepto à maioriibus seruet, consuetudo vim legis habens confertur. **Idem** quoq. iuris est, si ita ex more seruet, ut eius consuetudinis memoria non extet, quādānā ea introduci cōperit. Item, si ambiguum sit, consuetudine necne res obserueretur, tunc est ei gendūm; & proinde existimandum est, eam esse consuetudinem legis vim, & rationem habentem. Quando vero certō, aut verosimiliter confiterit, dies festos celebrari; aut ieiunia iisque, & coli voluntarie, pio duntaxat, & religioso affectu, non est consuetudo pro lege habenda. **Ex his omnibus** perspicitur, si peregrinus, vel alius ē longinquō veniens frequenter hospitio ab aliquo viro, certo in loco excipiat, eum non acquirere ius, quo sibi hospitium debeatur, quia semper excipitur iure hospitalitatis, & charitatis, & proinde consuetudo vim legis habens nequaquam inducitur. Annotandum rāmen est, aliquando consuetudine ius acquiri in ijs, quae sunt libera facultatis. Nam re docet Abbas, locū citato apud Sylvestrum indigena, & incolit, qui in uno oppido commorantur, consuetudine possunt ius acquirere ligna cædendi, lapides effodiendi, animalia pascendi, piscandi, venandi in prædiis, & agris, & fluuius alterius populi, vel ciuitatis, dummodo consuetudo non sit per vim inducta, ut colligatur ex. Venditor, s. Si constat, ff. communia prædiorum.

**Sexto queritur**, An quando consuetudo contra legem inducitur, vim, & auctoritatem habeat statim post decennium, si sciente Princepe, & tolerante inducta sit per decennium: hanc questionē tractauit Felinus, & postea Rochus, in qua duas sunt opiniones, prima docet vniuersim omnem consuetudinem contra legem, vel canonem venientem valere, si sciente Princepe, & impune permittente per decennium fuerit introducta: quoniam eo ipso, quo princeps seit, & impune permittit, creditur ius ipsum relaxare. **Sic Antoniu. Phil. Cornelius, Oldradus**, quos citat Robus in suo tract. de consuetudine, ff. Glossa finalis. **Sed Abb.** in c. v. de consue. hanc sententia improbat, quia nullo iure fulcitur, & quia multa per patientiam tolerantur, in quibus consensus deficit. c. cum iam dudum ad finem de præb. **Secunda opinio** censet generatim nullam consuetudinem contra canonem valere ante quadraginta annorum spatium, & contra legem ante decennium, etiam sciente, & paciente Princepe, nisi tam expressim approbet, ita ut ius ipsum relaxerit. **Sic Abb. Felin.** & communis opinio, ut testatur Robus, de consue. ff. Glossa in 2. requisit. post quest. 2. vers. 3. limita.

Septimè queritur, An quando consuetudo contra canonom, vel legē est inducta, valeat, si ignare principe fuerit introducta: hoc est, an ut vim, & auctoritatem contra ius cōmune habeat, necesse sit, ut scīte principe, vel eo, qui ius cōdere potest, inducta sit, *Gloss. in c. vlt. de confus. ver. legiūm*, inter alia, quæ requirunt ad confuetudinem, quartum est, inducatur scīte principe, vel eo, qui potest ius condere, sic etiam alia *Gloss. in c. Frustra. diff. S. O. I. d. conf. 237.* Sed oppositum sentit, ac docet Abbas, Antonius, Alex. Barba. Philip. Corneus, quos citat, & sequitur Rochus, *in suo tracta. de confus. §. Glossa finalis. §. quantum requisitum, & ait, hanc esse communem sententiam.* Et hæc est vera: quia sufficit generalis principis cōlenitus, quo tacitè vult, ut vim habeat consuetudo, si fuerit rationabilis, & legitimè præscripta. Nam *in c. vlt. de confus.* hæc duo necessaria esse dicuntur, & nihil aliud p̄t̄rea: & huic iuri Princeps consentire debet.

Octauo queritur, An sint al. quæ leges vel canonies contra quos consuetudo nō valeat, nisi scīente, & patiente principe. Duas opinione inuenio. Una docet, quatuor esse, in quibus consuetudo induci non potest, ita ut vim habeat, nisi principi nota sit, & ab eo permitta. Primum est, quando consuetudo introductur in ius, quæ sacramentalia dicuntur iure communi constituta. Vnde non valeret consuetudo ignorante Romano Pontifice, qua secundis nuptijs benedictio nuptialis adhibetur, etiam si vir ducat puellam virginem. Litem, non valeret consuetudo nisi Roman. Pontifice scīente, quia puella corrupta, cum religionē profiteretur, sacrantur. Secundum est, non valeret consuetudo nisi scīente Princeps quando inducitur in ius, quæ sunt principi, iure communi referuata. Tertium, quando inducitur contra ius, quod iubet aliquid, quod est utilitate publica. Quartum, quando introducitur contra legem, vel canonem expressim cōfuetudinem improbatem: & hæc est communis opinio doctoriū, ut testatur Rochus, *loc. supra citato, vbi in singulis his quatuor, citat multos auctores, tum iuris Canonici, tum civilis.* Ceterum altera opinio docet, vniuersim nunquam requiri ad confuetudinem contra legem, vel canonom, scīentiam, & patientiam principis, dummodo sit legitimè temporis cursu confirmata: videlicet, contra canonom, quadraginta annorum spatio: contra legem, decennio. Sic Rochus, & sic etiam Couar. *de mar. p. 2. c. 6. §. 10. n. 19.* & probant, quia *in c. vlt. de confus.* nihil aliud requiritur, nisi vt consuetudo sit rationabilis, & legitime præcripta, certè valde probabilis est hæc opinio: & magis mihi placet.

Ad argumentum vero contrarium, *Respondeo*, consuetudinis vim, & auctoritatem non ex sola populi voluntate proficiunt, & pendere, sed extra eis etiam principis cōlenitus, non quidem eo, quem primę opinionis auctores requirunt, nemirum ut confuetudinem contra legem princeps sciat, ac toleret, sed eo, qui semper adeit in tacita conditione, quæ leges feruntur ad populum, & promulgantur. Lex enim ea conditione fertur, ut si viu recipiatur, vim habeat, & omium conscientias obstringat, sin minus, neminem teneat. Similiter, cum lex est viu recepta, adhuc tacita conditione pendet, ut nisi contraria coniue-

tudine abrogetur, vim suam retineat; sin minus, amittat.

Nonò queritur, An ut consuetudo p̄t̄re legē introducatur, necessaria sit scīentia principis: quid est querere, An ignorante principe, induci queat consuetudo p̄t̄re legem: Ratio quæstionis est, quia lex non potest constitui sola voluntate populi principi subiecti, ergo nec consuetudo, quæ vim legis habet, à solo populo absque ratio principis consensu, qui eius requirit scīentiam, introduci potest. Hoc argumento permitti alij quidam senserunt, ad huiusmodi confuetudinem requiri principis scīentiam. Sed exitimo dicendum, non requiri, ut princeps sciat, ac toleret confuetudinem, quoniam principe proflus ignorantie potest consuetudo, quæ est p̄t̄re legem gigni, & confirmari; nam iuris communis, & Ciuitatis, & Canonici est, ut consuetudo p̄t̄re ius in rem publicam inuecta vim legis acquirat, nec alicubi est iure decreatum ad id necessariam esse scīentiam, & patientiam principis. Ad obiectionem verò supra positam respondeo, populum, licet suam potestatem in principem transmiserit, posset tamen aliqua sine principe statuta condere, non quidem contra ius commune, vel legem principis, sed p̄t̄re ius, & legem communem: & pari modo potest leges, & consuetudines inducere, quæ si sint contra ius commune, aut legem principis, cum tacitum consentium requirunt, quem quæstionē precedenti explicavimus. Si verò p̄t̄re ius, & legem communem, nullum alium principis postulat consentium, nisi quod iure ipso, tum Ciuitati, tum Canonico introduci queunt: & cursu temporis legitimè confirmata, siue ignorantie, siue scīentie principis, vim, & auctoritatem habent.

Dicimò, An statutum vel Canon constitutis ipsis iure, vel facta pœnam excommunicationis, vel suspensionis in eos, qui non paruerint, consuetudine abrogari queat? Quidam, ut tellantur Syluest. *verb. confusendo. q. 1. & Angel. eo. verb. q. 10.* senserunt tolli non posse. Sed verius est, quod Abbas, Antonius, Innocentius *in cap. 1. de regna, opere, & Cardina. in prolo. clem. Ange.* & Sylvestris dixerunt, etiam abrogari posse; Canonem quidem, spatio quadraginta annorum: statutum verò, decennio. Ex quo sit, ut consuetudine p̄scripta contra facientes, nec Canonom, nec statutum violenti, nec ullam pœnam incurvant: si vero, qui ante quā sit p̄scripta consuetudo, ius non feruant, sicut peccant, nisi bona fide aliiude excusentur, sic pœnam excommunicationis, vel suspensionis contrahunt, eo quod sit ipso iure lata, & constituta in eos, qui non obtinuerint iuri. Sed dubia quæstionis est, an pœna huiusmodi excommunicationis, vel suspensionis ipso iure latâ, consuetudine tolli queat, canone ipso, vel statuto non sublatio per consuetudinem, sed adhuc suam vim, & auctoritatem retinente. Sunt tres opiniones: Prima docet, quandocunq; lex ipso facto, vel iure, pœnam cōstituit, consuetudine contraria minime tolli potest: quando verò lex pœnam continet, non ipso facto vel iure latam, sed à iudice ferendam, contraria consuetudine aboleri potest; sic quidam, ut refert Ioan. And. *in cap. 1. de Treuga, & Pace, Quod probant ex eo, quod pœna*

de legis

na legis ipso facto, vel iure constituta contrahatur, itum acque lex violatur: ergo si lex abrogata non sit, & poenam contineat ipso facto latam, consequens est, ut qui legem non seruat, eo ipso poenam incurrat. Secunda opinio distinguit: Si lex (inquit) *Lata sit in bonum priuatum, pena non contrahatur, etiam ipso facto, vel iure sit lata, si vero lex condita sit in honorem, & cultum Dei, vel in communem Reipublicam salutem, pena debetur, si ipso facto, vel iure sit confusa: non tamen si est à *Judice inferenda*. Sic Anton. cap. 1. de Treug. & Pace, quia lex lata in bonum priuatum orum sicut tolli potest pacto, & renunciatio eis, ut doctores aiunt in*l. de quibus ff. de legi*, sic etiam potest confuetudine abrogari. Tertia opinio, aboluta, & simpliciter docet vnu, & more posse poenam tolli, quamvis lex ipsa, quae eam poenam imponit, non sit per confuetudinem abrogata, ita ut confuetudo tunc contra poenam vim habeat, contra legem non item. Ita *Glossa in c. cum mule. 15. q. 8.* Abb. Ioann. Andr. Innocent. Host. in*c. 1. de Treug. & Pace, Sylvest. consuetudo. q. 7. & q. 9. Angel. eo. verb. sua. lo.* Hec opinio est vera: quoniam sicut lex confuetudine abrogatur, sic etiam poena legis potest confuetudine auferri non sublata lege: potuit itidem lex recipi, non recepta poena. Ergo potest poena tolli, legi ipsa non abrogata. Probat *Glossa*: quoniam legi Canonica constitutum est, ut filii Presbyterorum ex sacrilegio procreati ipso facto sint Ecclesie serui, cui coru pater inferuit: & tamen quia Ecclesia non sic punire confuevit, ea poena filii Presbyterorum minime conficiuntur. Ex quo fit, ut si Episcopus constitutionem fancierit, ne feminis certo quodam vestitus genere vtantur, alioqui ipso facto excommunicationis vinculo teneantur, eiusmodi poenam non contrahant, fons contra facientes, si non sit vnu recepta, aut si contraria confuetudine sublata sit constitutio. Sed est secundum aliquos animaduertendum: quoniam canon, vel statutum praecepit aliquid, quod non erat alioqui vlo iure imperatum, aut prohibet, quod non erat alio iure communi interdictum, & ipso facto, in eos qui non obtemperant, poenam excommunicationis constituit, poena contrahitur, quamdui canon, vel statutum vim obligandi haberet, & non seruatur; & hoc probat argumentum eorum, qui primam sententiam sequuntur, quoniam eo ipso, quod constitutio violatur, poena contrahitur, ac si constitutio per confuetudinem fuerit abrogata, nullam poenam incurrit, qui contra faciunt: eo quod constitutio vim, & auctoritatem amittit, si tamen sint aliæ poenæ, quales sunt bonorum iactura, libertatis amissio, non contrahuntur ipso facto, nisi exigantur, quando vnu receptum est, ut etiam si constitutio vigeat, poenæ similes non debeantur, nisi pertantur. Ceterum alij generatim sentiunt, poenam, quæcumque sit illa, etiam excommunicationem aliquando per confuetudinem tolli, lege vel canone nō abrogato, quoniam sicut initio potest lex, vel canon vnu recipi, non recepta poena, sic potest poena per confuetudinem contrariam tolli, non sublata lege. Queres, quid dicendum, si constitutio ipso facto, vel iure excommunicationis poenæ subiicit eos, qui eam nō feruant, cum tamen lex lata sit de ijs, quæ alioqui iure Diuino, vel naturali sunt constituta, ut potè si lex poena*

excommunicationis afficiat ipso facto fures, vel sacrilegos, vel adulteros, an fures incident in eiusmodi poenam? Questionem mouet ratio à peccato sumpta: nam fures, adulteri, vel sacrilegi delinquunt, eo quod consuetudo ius Diuinum vel naturale non abrogat, ergo, eo ipso, poenam excommunicationis incurrit, siquidem eas, ipso facto, irrogat constitutio. Respondeo: sicut lege humana manente, potest poena, quæ non sit excommunicatione, confuetudine abrogari; ita etiam poena excommunicationis potest vnu, & more tolli, lege naturali, vel Diuina non sublata, constitutio enim, quæ irrogata poena excommunicationis furtum, sacrilegium, vel adulterium prohibet, potest permanere, ut est diuinum, vel naturalis iuris, non tamē, ut est humani: ac proinde potest more, & vnu esse receptum, ne excommunicationi fures, sacrilegos, vel adulteros subiiciat: quamvis confuetudo nihil impedit, quo minus furtum, adulterium, & sacrilegium int diuinum, vel naturali iure damnata. Et cum obiicitur: peccant fures, ergo in excommunicationem incurrit. Respondeo, eos quidem peccare, ius naturale, vel diuum perfringendo; non tamen conficitur, ut excommunicationem contrahant, quam confuetudo sustulit, quia etiam ipsa constitutio, ut est humani iuris, per confuetudinem sublata censetur, eo ipso, quo excommunicatione non afficiuntur, qui contra faciunt. Ex his omnibus planè liquet, quid dicendum de ea confutacione à Paulo Secundo edita, quæ incipit, *Ambitioles, inter communes de reb. Eccles. non alien. quæ statutum est, ne res Ecclesiasticae, vel fructus beneficiorum Ecclesiasticorum ultra triennium locentur, nisi in casibus iure confessis: alioqui grauissima poena, & censuræ irrogantur ijs, qui contra fecerint: de qua Pontificia lege variè autores scripserunt. Breuerius tamen dicendum arbitror, eam constitutionem non esse vbique vnu receptam; alicubi vero receptam quidem, sed ex aliqua parte duntaxat. In ea decernitur, ne ultra triennium locatio fiat: eiusmodi triennium alicubi vnu interpretatur, ut quando restalis est, ut non soleat singulis annis fructus reddere, sed secundo quoque anno, appellatione Triennij, intelligatur iex annorum ipsatum. E quando res non nisi tertio quoque anno fructum facere solet, nomine Triennij accipiatur nouem annorum tempus.* Porrò sic confuetudo eam constitutionem interpretatur, quia mens iusticia videtur fuisse, ut conductor frumentis annuis fructibus commodè queat. Item, eandem constitutionem vnu declarat, nequaquam intelligi de domibus, quas Ecclesia, vel Beneficiarii possident iure sui Beneficij, sed de praedijs, agris, & alijs possessionibus. Patet etiam, quid dicendum sit de alia constitutione Pontificia, quæ incipit, *Pericolofo, de statu Regularium in 6. vbi præcipitur ut sacrae Deo foeminae clausuram seruent: quæ constitutione, quia non erat vnu recepta, renouata est in Concil. Tridentino sess. 25. cap. 5.* & à Pio Quinto in alia constitutione edita, cuius initium est: *Cura pastoralis,* & à Gregorio XIII. in ea, quæ incipit: *Deo sacris:* & tamen multis in locis sanctimoniales clausuram non seruent, prætexentes, eiusmodi constitutiones non

nes non esse more, & vsu receptas. De qua re suo loco dicemus.

Vnde此 quæritur, Quis possit consuetudinem introducere? Respondeo, eos, qui possunt statuta condere: unde pueri, amentes, & alij similes nequeunt consuetudinem inducere: nec sceminae in ijs, que sunt virorum. Nonnunquam tamē possunt consuetudinem introducere, etiam qui nequeunt statuta condere. Nam clerici contra canones possunt consuetudinem inducere, cum tamen nequeant statuta componere, ut dicam inferius. Sed dubia est quæstio, quare clericorum consuetudines contra canones valeant, & non statuta, cum laicorum statuta vim etiā habere soleant contra leges suorum principum. Abbas. c. ultim. de consuetudine, respondet, quia leges ciuiles constitutæ sunt ob bonum cōmūne, vel priuatum ciuium, & ideo principes voluerunt, ut possint ciues statuta condere contra leges, quoniam iure suo, & commodo cedere queunt; ac canones sunt instituti ad cultum, & honorem Dei, ad peccatum vitandum, ad conscientias hominum, & mentes dirigendas, quo iure clerici cedere nequeunt, & si contra canones statuta componant, censentur temeraria, & ambitiosa, vt Felin. in c. super his, de maiorum ob. & Alexand. in c. Frust. d. 8. hanc rationem improbant: nō multi sunt canones constituti ad bonum cōmūne, vel priuatum clericorū, quales sunt canones de iudicijs, & iubib. & ideo Felinus, & Alexandrinus, & Rochus, in suo tract. de consue. & gloss. in secundo requisito. Respondet aliter, quia Princeps Civilis habet suam potestitatem a populo: at Ecclesia habet proximè a Deo. Ceterū, breuius respondeo, rationem esse, quia leges, & Principes voluerunt, ut ciues ac populi possint contra leges ipsas statuta condere, ut colligitur ex l. omnes populi. ff. de iusti. & iure. At nusquam ius canonum permittit, ut Clerici contra Canones statuta decernant, & ponant: & tamen concedit, ut clericorum consuetudines contra Canones vim, & auctoritatem habeant, hoc autem iurā ipsa voluerunt, quia difficultus est, ut populos, quos esse solent in principum potestate, una lege obligare, quam clericos, & Ecclesijs uno Canone tenerre. Quæres an Canoniconum Collegium possit consuetudines inducere sine vlo Episcopi sensu? Respondeo, si in c. Cum consuetudines, de consuetudine, aperte decernitur: Collegium Canoniconum nec posse consuetudines novas inducere, nec veteres mutare sine Episcopi sensu. quod locū habet in consuetudinibus, quæ in negotijs magnis, & arduis versantur, qualia sunt in ijs rebus quæ pertinet ad communem Ecclesię, cuius sunt Canonici, statum, vel ad ipsius Episcopi iura. In negotijs tamē exiguis, qualia sunt, quæ ad ipsum Collegium spectant, potest, quia in his etiā sine Episcopo solet quipiam statuto decernere, nimis mirum quando, quo loco, & quo modo debeant Canonici congregari, quo patro cito quique suffragium ferat, quo loco, & ordine sedere debeat, quemadmodū distributiones quotidianæ sint diuidendæ. Abbas. in c. Cum consuetudinis, de consuetudine, nu. 4. & gloss. cap. 2. de Verbor. significatis. in 6. & videatur colligi ex c. Edoceri, de Rescriptis, & ex l. Neque socii. ss. quibus autem ff. Quid cuiusque universitatis nomine, Præterea. Princeps scient & tacente, immo etiam ignorantie, ut dixi supra, omnis ciuitas

populus siue subiectus potest consuetudinem inducere, non solum præter, vel secundum, sed etiam contra ius promulgatum, & vsu receptum, immo contra legem explicitè consuetudini derogat, & contra ius, quod tum auctoritate, tum utilitate est publici, & contra ea, que sunt ipsi Principi referata: quoniam ut haber communis opinio, consuetudo, lex tacita appellatur & à lege sive iure scripto solum differt, quod lex expresso Principi, aut populi consensu faciatur, consuetudo vero ex similium actuum frequenti repetitione, & tacito principio, aut populi consensu existit, ac surgit, & ex cap. vii. de consue. solum requiritur, ut sit rationabilis, & legitimo temporis cursu confirmata. Insuper, omnis ciuitas populis nulli principi subiectus, sicut potest expresso consensu statuta condere, ac ponere, sic tacito potest quoque consuetudinem, sive secundum, sive præter, aut contra legem, & ius inducere. Tunc autem est tacitus populi consensus, quando similium actuum frequentem replicationem populi aut ciuitatis major pars nouit, ac tolerat. Item, regio, provinciæ, ciuitas, vniuersitas principi subiecta possunt præter, & secundum ius, consuetudinem inducere in scio principe: immo etiam contra ius, & legem: quoniam etiam contra legem principi, communis ius, statuta condere nequiritur, ut nequeunt clerici contra Canones statuta decernere: nihilominus, sicut & Clerici contra Canones consuetudines introducunt, sic possunt leges, & iura consuetudines inducere, propterea quod & iure Civili, & Canonico constitutum est, ut ius sive lex, sive Canon communis, more, & vsu abrogari, & tolli queat. Ad hæc, vniuersitas hominum communiter viuetum principi, vel Republicæ auctoritate approbata, sive Scholasticorum, sive Doctorum, sive mercatorum, & negotiatorum, sive medicorum, sive artificum, vel opificum, potest non quidem contra ius & legem communem, sed præter, & secundum ius consuetudines inducere. Quo sit, ut inter Magistratus, & ludices in iudicando soleat mos introductus, qui vocatur stylus; ut stylus Curia Romana, stylus Cancelleria. Differt tamen stylus a consuetudine, tanquam species, & pars a generi, & toto. Consuetudine enim vniuersitatis est ins non scriptum ex actibus similibus repetitis introductum; Stylus vero est ius non scriptum, ex actibus iudicarijs inductum, ut docet ex Bartolo, & Cyno Salycetus in c. Capit. i. que sit longa consuetudo.

Duodecim quæritur, An consuetudo Laicorum liget Clericos? Respondeo ex communi Civilis, & Canonici iuri interpretum sententia, non ligare. Ita Cynus, Abbas, Antonius Barrius, Geminianus, & alij, & colligitur a contrario sensu ex cap. vltimo, de vita, & honestate Clericorum, ad finem, & ex cap. vltimo, de rebus Ecclesijs non alienis. Hoc autem intelligitur eo modo, quo paulo ante dixi: videlicet, statutis laicorum minimè Clericos teneri, in ijs nimis mirum, quæ libertati, immunitatiue Ecclesiasticae nocent, vel incommodeant, hoc enim est, quod in cap. vltimo, de rebus Ecclesijs non alienis, & in cap. vltimo, de vita, & honestate Clericorum indicatur.

Decimotertio quæritur, An consuetudo teneat, ac liget externos, & peregrinos, non solum indi-

gens

genas, & incolas? **Respondeo**, Consuetudinibus populi, vel ciuitatis externos non teneri. Ita omnes Ciuitatis, & Canonici iuris Doctores. Hoc autem intelligi debet eo modo, quo supra à nobis dictum est, externos esse liberos, & immunes à statutis, videlicet in hunc modum: Viatores ac exteriores facientes non tenentur consuetudinibus receptis in locis, per quae transirent, vel in que venirent animo, & voluntate recedendi, non ibi commorandi. At verò ratione contractus, vel domiciliis, vel rei in loco sitæ, aut ratione delicti commissi, externi conueniri, ac iudicari possunt iuxta speciales receptas in loco consuetudines; cum tamen aliqui coram Iudice originis, aut domiciliis conueniri deberent. **Hinc** perspicitur quid sit in multis, de quibus dubitari solet, dicendum. Hispani, Galli, Poloni, & Germani veniunt in Italiam, contra Itali aliò extra Italianam se conferunt: singuli quamdiu extra patriam alibi commorantur, vel aliò se recipiunt voluntate cōmōrandi in eo loco, cōmententur consuetudinibus, in eo loco receptis, quales sunt ieiunii, abstinentiae, diei festi colendi, & aliae similes, & liberi sunt à consuetudinib⁹ in patria visitatis. At si extra patriam aliò se conferant non voluntate commorandi in eo loco, sed statim recedendi, vel illuc transirendi, non ligantur consuetudinibus in eo loco receptis, quoniam nō in eo loco commorantur, aut domicilium posuerunt. Hispani igitur vel terre freier facientes per Galliam, vel nauigantes, & ad Gallorum portus nauigantes appulsi non tenentur moribus receptis in Gallia. Carterum Graeci, & orientales clericis, vel laici, quamvis inter Latinos commorantur, aut contra Latini inter Gregos, patris mores obseruant, eo quod Ecclesia id permittit, non cogantur nouos mores addiscere, & veteres depondere, quod esset durum, & difficile, cum sint plurimum diuersi. **Glossa** in c. illa d. 12. rebus. **veneris.** &c. que cōtra d. 8. docet, viatores, cum in aliquem locum veniunt, teneri consuetudinibus in illo loco receptis, si ibi sint moraturi: fatus verò si consuetudo sint ex eo loco recessi. **Ambros.** in c. illa d. 12. sic ait: tu ad quacunque foris Ecclesiam veneris, eius morem serua, si cuiquam non vis esse scandala, nec quemquam ibi, & Augustinus. in c. que contra d. 8. dicit, pacatum gentis, aut ciuitatis consuetudine, aut regnum nullum cuius, aut peregrini libidine violenter. Sicille. Viatores igitur consuetum profecturi, transituri, recessi rurē non tenentur consuetudinibus receptis in loco, per quem trāseunt, vel ad quem veniunt. Possunt tamen, & debent eas consuetudines feruare, ne alijs causam præbeant confessionis.

**Decimoquarto queritur**, An consuetudo liget subditos, qui extra territorium perpetrā faciūt. **Respondeo**, Minime: idem enim iuris est de consuetudinibus, quod de statutis: at statuta subditos, qui extra territorium delinquit, non tenent. est enim in cap. Vt animarum §. 2. De constitutionibus in c. constitutum, ne Episcopus excommunicationis peccatum irroget omnibus furum committentibus, statuto comprehendantur subditi furum extra Episcopi territorium perpetrantes.

**Decimoquinto queritur**, An consuetudo possit uno tamē in actu generari. Hanc quæstionem superius ex parte tractau. breuiter dicendum,

Quosdam putasse, posse: Contra alij id communis consensu refutant, eo quod cum ipsa consuetudinis notione, & significacione pugnare videatur. Est enim consuetudo ex pluribus similibus actibus comparata, hoc est, ex actu diuersis temporibus saepius repetito, cum quippiam à paucis quibusdam factitatum, multi postea sequunt, imitatiq; sunt. **Dicendum** igitur existimo, si propriè de consuetudine loquimur, eam non nisi multis actibus induci posse: at verò ex uno tantum actu potissimum insigni incipit consuetud. gigni, & introduci, quia eum actum ceteri imitantur, & sequuntur. Item, ex uno actu, eumq; populo, aut eius maiori parte sciente, & tolerante, aliquando quidpiam in consuetudinem venit, quia populus id sciens expressim, vel tacite vuit, ut pro consuetudine habeatur; atque hoc, opinor, auctores contrariae opinionis voluisse: sed propriè ea consuetudo non est, sed tacitus quidam populi consensus, quo alius iure possit illud idē efficere. de hac quæstionis latè agit Rochus in suo tratta. de consuetud. §. Glos. fin. in 7. requisit. Si quāras quo actus repetiti necessarij sint, ut dicatur frequentia actuum. **Respondet** Rochus, esse aliquorum sententiā, quos ibi refert, id relinqui iudicis, vel boni viri arbitrio. Alios verò sentire, tot actus requiri, ut probabiliter credamus, eos in notitiam populi venisse, ipse verò ex Glossis, & alijs multis docet, sufficeret tres actus, quia quod ter fit, in iure dicitur fieri frequenter, & tres dicuntur plurimi, vel plures, immo etiam latissime esse, si quid bis fiat, quia quod fit bis, etiam in iure dicitur sapere fieri.

**Decimo sexto queritur**, Quid discimini sit inter consuetudinem, & præscriptionem? **Respondeo** Sylit. consuetudo. q. 22. ex Abbat. Bald. & alijs inc. vlt. de consuetud. haec duo in multis différre. **Præscriptione** enim primo consistit in rebus immobilibus, tum corporalibus, tum incorporalibus; at verò consuetudo solum locū habet in incorporalibus, ut in servitūbus, iurisdictionibus, electionibus, & alijs eiusmodi. **Secundō**, præscriptione acquiritur ius priuatae personæ; at verò consuetudine non acquiritur ius priuatae personæ; item consuetudine nō acquiritur ius magis vni, quam alteri, sed toti reipublice, & cōmunitati. **Tertiō**, præscriptio dat ius vni contra ius, quod alter habet, at vero conseruando dat ius contra legem, vel prater, aut secundum legem. **Postremō**, ad præscriptionem requiritur titulus, & bona fides; at verò in consuetudine sufficit certus cuiusdam temporis lapsus, nō titulus; & ideo verum est id, quod supra explicimus, consuetudinē non propriè præscripta, sed quasi præscriptam vocari, quia certi temporis spatio exacte consuetudo locum, & vim habet; ita ut iuris, ac legis potestatem acquirat, & comparet: & tunc in iure canonico præscripta dicuntur, in iure ciuiili diuurna, longa, tenaciter obseruata, ut ante iam dixi.

### Cap. XIX.

**Quædam consuetudines contra ius commune inducēte discutiuntur.**

**Q**uoniam supra tradidimus, consuetudinem aliquando esse contra ius, aliquando præter, vel secundum ius; præsenti capite quædam